

bene et sapienter dixi dudum: "vitium commune om- 30
niumst

quod nimium ad rem in senecta adtenti sumus"? hanc
maculam nos decet

955 effugere. et dictumst vere et re ipsa fieri oportet. *MI.*
gaudeo.

quid istic? dabitur quando quidem hic volt. *AE.* mi
pater!

DE. nunc tu germanu's pariter animo et corpore.
(suo sibi gladio hunc iugulo.) 35

SYRVS D E M E A M I C I O A E S C H I N V S i x

SY. Factumst quod iussisti, Demea.

DE. frugi homo's. ergo edepol hodie meã quidem sen-
tentia

960 iudico Syrũm fieri esse aequom liberum. *MI.* istunc
liberum?

quodnam ob factum? *DE.* multa. *SY.* o noster Demea,
edepol vir bonu's.

ego istos vobis usque a pueris curavi ambo sedulo: 5
docui monui bene praecepi semper quae potui omnia.

DE. res apparet. et quidẽm porro haec, opsonare cum fide,
965 scortum adducere, adparare de die convivium:

non mediocris hominis haec sunt officia. *SY.* o lepidum
caput!